

1. Stolberg / Balth. / Diss. de Angarij Veterum, Wittenbergæ, 1680.
2. — Diss. de Prosecutione Judeorum Wittenbergæ, 1682.
3. Strauch / Agidij / Diss. de Spirituali Fidelium reuentione, Dantisci, 1672.
4. — Rechabecami Regis Judeorum Vita e 1 Regum xli Dissertatione Descripta, Wittenbergæ, 1682.
5. Joepffer / Andr. / Diss. ex Jerem. xviii vi. 1-6. Jus figuli in lutum comparatum cum iure Dei in Danum Israel. Wittenbergæ, 1695.


6. Joepfer / Henr. Andr. / Diss. de Tiaris  
minorum Sacerdotum, Wittenbergae, 1722.
7. Vagety / Augustini / Diss. de Columnis  
aeneis Templi Salamonis joachin et  
Boas, Wittenbergae, 1695.
8. ——— Diss. 2da Wittenbergae, 1645.
9. Velthem / Valent. / Diss. de Ignorantia  
Theologorum laudabili, Jenae 1690
10. ——— Diss. de unctioe Christi  
pro Consortibus suis. 1691.
11. Viccy / Fridr. / Diss. de Aaronitici  
pectoralis Insigni, Urin atq3  
Jummin, Wittenbergae, 1657.
12. Wagner / Bernh. / Diss. de Vita  
Senatorum in Fide, Argentorat, 1708
13. Walther / Chr. / Exercitatio de  
Duabus Tabulis Lapidicis Mosi  
in Monte Sinai datis, Regiomonti, 1679
14. Wandalini / Joh. / Discussio Spei  
Speciosae de Conversione Judaeorum,  
Hafniae, 1708.
15. Weidener / Joh. Joach. / Diss. Rationi  
Suae in Theologiae Limites. Definiens  
Rostochy, 1721.

16. Werau dorff / Gottlieb, / Diff. de  
Illuminatione Cordium, Witten-  
berge, 1716.
17. Wichmanshausen / Joh. Christoph. /  
Diff. de Curribus Bellicis in Oriente  
usitatis, Wittenberge, 1723.
18. Wichmanshausen / Joh. Frid. / Diff.  
de Maledictoribus Diei, Wittenber-  
ge, 1712.
19. Wichmanshausen / Joh. Christoph. /  
Diff. de Tiara Summi Sacerdotis,  
Wittenberge, 1722.
20. — programma de Lege, Witten-  
berge, 1722.
21. — Diff. de Columnis aeneis in  
porticu Templi a Salomone  
positis, Wittenberge, 1719.
22. Zeltner / Gust. Georgij / Diff. de Gad  
et Meri Iudeorum Kadernorum  
Dys. Altorfi, 1715.
23. — Diff. de Subjectione Iesu  
Christi gloriosa, Altorfi, 1715.
- b. 24. — Diff. de Horologio Pilati,  
Altorfi 1720.
- a. 24. — Diff. de Chiasmo presenti,  
Altorfi, 1716.

- 26 — Diff. De Horologio Caiphe,  
Altorfi, 1721.
- 27 — Diff. De Aurora Fidei inter  
Rationis Tenebras emergente  
Altorfi, 1723.
- 28 Zentgraf / Joh. Ivach. / Diff. De  
Spiritus Sancti Testimonio  
interno, Argentorati 1703.
- 29 — Diff. De Enthusiasmo  
Divino et Diabolico, Argentorati, 1703

*[Faint, illegible handwriting on aged paper]*









7. N. D. N. 7. C.  
DISPUTATIO THEOLOGICA,  
DE  
**VITA**  
**RENATORUM**  
**IN FIDE,**

Ad Locum Apostoli Pauli  
*Galat. Cap. II. vers. 20.*  
Qvam

Adjuvante DEO Triuno,  
PRÆSIDE

*VIRO Maxime Reverendo, Amplissimo atq; Excellentissimo*

DOMINO  
**BERNHARDO WAGNERO,**  
SS. Theol. Doct. & Prof. Publ. Celeberrimo,  
Capit. ad Div. Thom. Canonico, & Ecclesiaste Dignissimo,  
Fac. Theol. h.t. DECANO Spectabili:

*Dn. Patrono, Fautore & Præceptore suo, omni  
Pietatis cultu & animi submissione semper Amando  
& Honorando,*

In Alma Argentoratensium Universitate,  
Publico Eruditorum Examine exponet

**PHILIPPUS DANIEL ENGELHORN**  
Landavia Alfatus.

---

ARGENTORATI,

Typis JOHANNIS FRIDERICI SPOOR.  
Anno M DCC VIII.

22



REINARTORUM  
VITA  
IN FIDE

Ad Joann. Baptistam  
venerabilis patris  
et magistri  
FRIDERICI WAGNERI  
S. Theol. Doct. & Prof. Publ. Col. Salm.  
Capituli S. Thom. Cantuar. & Theol. Salm.  
Magistri Theol. & Canonici Salm.  
Dr. Theol. Friderici Wagneri Doct.  
in Alma Magna Salmatensis Universitate  
FRIDERICI WAGNERI  
Landesbibliothek

Typis Johannis I. Ruppertii  
anno MDCCCLXXII





*Proœmium.*



Aulus, sanctus ille CHRISTI Apostolus, divina Gratia & beneficiorum nobis exhibitorem summam propositurus, in Epistola ad Ephesios Cap. II. v. 4. & 5. *DEUS*, ait, *qui dives est misericordia, propter multam charitatem suam, qua dil. xir nos, etiam cum in peccatis essemus mortui, cum CHRISTO nos vivificavit.* Summam hominum miseriam indicat, quando *in peccatis eos mortuos* fuisse scribit, cujus miseriae causa non certe *DEUS*, sed Diabolus fuit. Ille enim hominem ad Divinam suam imaginem & ad vitam, in perfecta justitia & sanctitate creavit; hic vero uti peccati, ita quoque mortis auctor homini extitit, suisque mendaciis ita cum decepit, ut Creatore deserto, verboque ejus spreto, eo infelicitatis prolapsus sit, ut cum justitia originali & imagine Divina vitam quoque ad quam conditus erat amitteret, & vim divinae comminationis: qua die ex arbore hac comederitis morte moriemini; infelici eventu experiretur. Miserrimus ille est, qui, quando bene & hilariter vivere posset, vitam temporalem cum morte commutare jubetur: sed longe miserior ille, qui præter mortem temporalem etiam spiritualem & æternam quoque, id est, Summi Boni defectum, & una summi mali sensum experiri cogitur. Qua miseria cum totam genus humanum, Adami lapsu, involutum fuerit, nullum certe majus illi beneficium obtingere potuisset, quam hoc ipsum, quod in allegatis verbis Apostolus commemorat, aitque, *DEUM*, nos, cum in peccatis eramus mortui, cum *CHRISTO* vivificasse, vitamque in Adamo infelicitè amissam, in *CHRISTO* feliciter restituisse. Si vero in hoc mundo illi, qui præsentem

A

mortis

mortis supplicio, insperata iudicis gratia eripitur, vitæ recens sibi donatæ sensu & suavitate nihil esse potest delectabilius. ita quoque nobis & Christianis omnibus, Vitæ, Divina Gratia in Christo nobis restitutæ pia meditatione nihil debet esse jucundius, quippe qui, cum antea in peccatis eramus mortui, nunc in CHRISTO vivificati, læta voce, singuli Divini beneficii magnitudinem deprecari, & cum Apostolo dicere possumus: *Vivo, non tamen Ego, sed vivit in me CHRISTUS. Quod enim nunc vivo in carne, illud vivo in fide Filii DEI, qui me dilexit & tradidit semetipsum pro me.* Hoc, certe, animo est Vir Juvenis Præcellens & Doctissimus Dominus Philippus Daniel Treiberus, Landaviensis, Sacrosanctæ Theologiæ Studiosus industrius, quippe qui cum profectum suorum Theologicorum publicum specimen edere secum constituisset, hoc ipsum thema, *de Vita Renatorum in fide*, sibi excolendum sumsit: Cui propterea non modo de laudabili proposito ex animo gratulamur, sed porro quoque DEUM Terræ Optimum Maximum precamur, ut studiis ipsius & laboribus ita benedicat, ut ad Divini sui Nominis Gloriam, Ecclesiæ ædificationem, Patriæ ornamentum, proprium denique emolumentum feliciter succedant.

§. I.

**A**rgumentum quod, DEO clementer adjuvante, tractaturi sumus, agit *de Vita renatorum in fide*, estque omnino ita comparatum, ut præcipuum orthodoxæ doctrinæ & veræ pietatis punctum contineat: propterea operam dabimus, ut perspicua brevitate & simplicitate illud proponamus, eumque in finem notabile Sacræ Scripturæ dictum seligemus, ad quod, tanquam ad normam, tractationem componamus: descriptum illud extat in Epistola ad Galatas II. versu 20. his verbis: *ζῶ δὲ, ἀλλ' ἐν ἔμῳ, ζῆ δὲ ἐν ἐμοὶ χριστός. ὃ δὲ νῦν ζῶ ἐν σαρκὶ ἐν πίστει ζῶ τῆ τῆ ἡμῶν τῆ θεῶν, τῆ ἀγαπήσαντός μου, & παρέδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἑμῶν. Vivo autem, (ita Verho Schmidiana habet) non amplius ego: sed vivit in me Christus. Quod vero nunc vivo in carne, in fide vivo, quæ est in Filium DEI, qui dilexit me, & tradidit seipsum pro me.* Vulgata sic reddit: *Vivo autem, jam*

non ego; vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii DEI, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Beza ita transtulit: Vivo autem, non amplius ego: sed vivit in me Christus, & vitam quam nunc vivo in carne, vivo per fidem Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Addeamus etiam B. Lutheri Versionem Germanicam, utpote verbis emphaticis conceptam, hunc in modum: Ich lebe aber/ doch nun nicht ich/ sondern Christus lebet in mir/ denn was ich jetzt lebe im Fleisch/ das lebe ich in dem Glauben des Sohns Gottes/ der mich geliebet hat/ und Sich selbst für mich dargegeben. In textu Græco nulla varians lectio occurrit, sive in Curcellæana sive in Oxoniensi editione annotata, habemus itaque textum originale purum & ab omni corruptionis suspicione liberum. Versiones etiam parum inter se discrepant, poteritque una cum altera ad sensus declarationem conferri: quare sine ulterioribus ambagibus ad loci nostri reique in eo comprehensa expositionem accedimus, primo, verborum sensum evoluturi, secundo, porismata nonnulla inde deducturi.

§. 2. Quod itaque I. verborum sensum attinet, ad eundem perspicue proponendum observamus, duo imprimis in verbis nostris contineri, primo, nempe, Apostoli assertionem, qua se vivere & vitæ spiritualis participem esse profitetur, illis verbis, quando dicit: Ζῶ δὲ, Vivo autem. Ich lebe aber. Secundo Assertionis hujus declarationem, in verbis sequentibus, in quibus primo indicatur, vitæ qua Apostolus se vivere dixit Origo & Constitutio in istis verbis: ἐν ἐρί ἐγώ, Ζῆ δὲ ἐν ἐμοὶ Χριστός. non amplius ego, sed vivit in me Christus, doch nun nicht ich/ sondern Christus lebet in mir. Secundo, Tempus ejusdem, quod est tempus præsentis seculi, juxta verba sequentia: ὁ δὲ νῦν Ζῶ ἐν σαρκί, Quod vero nunc vivo in carne, denn was ich jetzt lebe im Fleisch. Tertio, Medium, per quod vita qua vivere se dixit Apostolus sibi communicatur, quod est Fides in Filium DEI, secundum ista verba: ἐν πίστει Ζῶ τῆ τῆ ἡμῶν τῆ οὐρανόθεν, in fide vivo, que est in Filium DEI. das lebe ich in dem Glauben des Sohns Gottes. Quarto denique medii hujus, quod fides est, expositio subjungitur, tum

A 2

quoad

quoad Objectum quod apprehendit, tum quoad alium ipsi proprium, quo nimirum Objectum hoc suum apprehendit, & eidem tanquam firmo fundamento innititur, in verbis illis, *in fide vivo, qua est in Filium DEI.* & subsequentibus: *τὸ ἀγαπήσαστός με, ἔραδίδω* *παράδω* *ἐαυτὸν ὑπὲρ ἐμῶν, qui dilexit me, & tradidit seipsum pro me, der mich geliebet hat/und Sich selbst für mich dargegeben.* De singulis hisce partibus nunc ordine agemus.

§. 3. Et quidem, primo, quod illa verba attinet: *ζῶ δὲ, vivo autem*, ea Pauli assertionem, qua se vivere affirmat, in se continere diximus, idque etiam facile apparet. Monenda tamen hic aliqua sunt, quæ partim ad connexionem horum verborum cum antecedentibus, partim ad vitam, de qua Apostolus loquitur, partim etiam ad assertionem ipsam spectant. Connexio cum antecedentibus particula *δὲ, autem*, indicatur. Dicit nimirum in versu præcedente Apostolus: *Per legem legi mortuus sum, ut DEO vivam, cum Christo crucifixus sum:* in quibus verbis se cum Christo mortuum & crucifixum esse asserit, nempe per communionem, vi cuius mors & crucifixio Christi Paulo ita imputatur, ac si ipse illam sustinisset, dum enim Christus pro hominibus, & singulatim etiam pro Paulo, se prædem & sponsorem obtulit ad mortem, hancque pro illis sustinuit, hoc idem est, ac si illi, & singulatim Paulus, illam sustinissent, ut ipse Apostolus in 2. Epistola ad Corinthios Capite V. versu 14. loquitur, quando ait: *judicamus, quod si unus pro omnibus mortuus est, omnes igitur mortui sint.* Cum hac vero communiōne mortis & crucifixionis cum Christo, porro Apostolus connectit communionem vitæ cum Christo, ut, quemadmodum Christus crucifixus & mortuus vivit; ita quoque nos cum Christo mortuo mortui, cum eodem vivere quoque vivamus, hoc enim indicat Apostolus, quando facta ad semetipsum applicatione dicit: *per legem legi mortuus & cum Christo crucifixus sum, ut DEO vivam:* & hac ratione mox in verbis nostris asserit, se vivere, quando ait: *ζῶ δὲ, Vivo autem.* Et hæc de connexionē.

§. 4. Quid vero sibi velit illud *ζῶ, vivo*, quidque hæc vita, hoc vivere denotet, porro, indicandum est. Et quidem, quod Apostolus in loco nostro simpliciter asserit: *ζῶ, vivo* idem

idem in verbis præcedentibus cum additamento expressit : *ὡς  
 ὡς ἔζησεν, ut DEO vivam.* DEO autem vivere, est vita, quæ ex  
 DEO est, quæ vera coram DEO vita est, quæ DEO placet, parti-  
 cipem esse, qua vita Christus vivit DEO, & nos etiam cum  
 Christo, & per Christum DEO vivere debemus, juxta Apосто-  
 li declarationem in Epistola ad Romanos Capite VI. v. 10. & 11.  
*quod Christus mortuus est, peccato mortuus est; quod vero vivit, vivit  
 DEO. Sic etiam vos arbitrâmini vos ipsos semel mortuos quidem esse  
 peccato, viventes autem DEO, per JESUM Christum Dominum no-  
 strum.* Vivit autem Christus DEO Patri suo, vita tali, quæ Ei sum-  
 mæ placet, ut verissime dicat : *Hic Filius meus dilectus est, in quo  
 complacui.* Similiter & Paulus, qui DEO se vivere asserit, ea vita  
 vivit, quæ DEO suo optime placet, isque in eo, tanquam in filio  
 dilecto vere paternum habeat beneplacitum. Est enim hæc vita,  
 qua DEO vivitur, vita secundum DEI voluntatem & beneplaci-  
 tum eidemque congrua prorsus. Hinc etiam id, quod Paulus  
 In nostro loco appellat, *DEO vivere,* Scriptura sacra alibi appellat  
*DEI voluntati vivere,* ut ex Petri verbis appater, quando in 1. Epi-  
 stola Cap. IV. v. 1. & 2. ita loquitur : *Quia itaque Christus passus  
 est pro nobis carne, etiam vos eadem cogitatione armâmini, quia qui  
 patitur carne, abstinetur a peccato. Ut non amplius hominum con-  
 cupiscentiis, sed voluntati DEI reliquum in carne vivamus tempus.*  
 Est enim hæc vita, qua Paulus se vivere proficitur, Vita justitiæ ve-  
 ræ coram DEO, qua illi, qui justificantur & veræ coram DEO justi-  
 tiæ participes sunt, vivere dicuntur : uti enim peccatis & injusti-  
 tia, coram DEO mortui sumus, Eph. II. v. 1. ita justitia vera co-  
 ram DEO per DEI gratiam vivificamur, uti Apostolus in Epistola  
 ad Galatas Cap. III. v. 11. testatur, quando ait : *justus ex fide vivit.*  
 Et in eodem Capite v. 21. vitam & justitiam ita arte inter se con-  
 nectit, ut ideo justitiam ex lege esse neget, quia vita non est ex le-  
 lege, lexque neminem vivificare possit, ita enim diserte loquitur :  
*Nlex data esset, que posset vivificare, revera ex lege esset justitia.*  
 Proinde, quando Paulus, *ὡς vivo,* inquit, tum se vita veræ coram  
 DEO justitiæ vivere asserit. Unde recte Estius ad verba nostra  
 scribit : *Sensus hujus loci est : per Baptismum Christo commortuus  
 vivo nunc per veram justitiam.*

§. 5. In hac autem vita duo diligenter distinguenda sunt; nempe, *primo* ipsa *vivificatio*, qua ex mortuo fit vivus, & ex injusto justus. *Secundo*, *vivificati operatio*, qua nempe vivificatus actiones & opera vivente dignos edit. Illa vitam constituit eandemque nobis communicat, hæc vero vitæ in nobis constituta effectus est, qui tanquam fructus e radice viva enascitur. Quemadmodum itaque radicem vivam cum fructibus inde natis confundere imperitum plane, ita quoque ipsam vitam spiritua-lem, qua vivificamur & justificamur coram DEO, cum fructibus bonorum operum inde productis permiscere nefas est. Vivificamur & justificamur divina gratia, quando autem vivificati & justificati sumus, deinceps ut justis & vivi ambulamus & operamur & hæc opera sacra Scriptura propterea fructus Spiritus Sancti, ut-  
 pore nos vivificantis, appellat, in Epist. ad Galat. Cap. V. v. 22. Et ideo vivificamur ut deinceps fructus, non injustitiæ & peccati, sed justitiæ & vitæ proferamus, *ὡς καρποφορήσωμεν τῷ Θεῷ, ut fructum feramus DEO*, quemadmodum Paulus in Epistola ad Romanos Capite VII. v. 4. loquitur. Quod ipsum etiam Capite præcedente VI. v. 11. & seq. Romanis suis inculcavit his ver-  
 bis: *Vos arbitramini vos ipsos semel mortuos quidem esse peccato, viventes autem DEO per Jesum Christum Dominum nostrum. Ne igitur regnato peccatum in mortuo vestro corpore, ut obediatis illi in concupiscentiis illius. Neque sistite membra vestra instrumenta injustitiæ peccato: sed sistite vos ipsos DEO, tanquam ex mortuis viventes, & membra vestra tanquam instrumenta justitiæ DEO.*

§. 6. Observamus, *Tertio*, etiam aliquid ad ipsam Assertionem, quæ plana & aperta est, non perplexa & ambigua, certa, non dubia, ait enim: *ζῶ δὲ, Vivo autem.* *Subjctum* hujus assertionis & vitæ spiritualis Apostolus est, homo renatus & DEI gratia vivificatus, qui de seipso profiterur: *ζῶ, vivo.* Notandum autem est, quod hæc assertio non sit ita accipiendâ, quasi esset assertio Pauli solius de se solo; sed sciendum est, Paulum, vitæ spiri-  
 tualis subjctum, se aliis renatis & vivificatis tanquam exem-  
 plum proponere, quod ipsi quoque imitari debeant, ita ut, quemadmodum ipse certa asseveratione de se statuit: *ζῶ, vivo,*  
 ita



ita quoque illi idem pari asseveratione de se statuere atque existimare debeant, ad hoc ipsum enim Romanos suos hortatur, quando Capite VI. v. II. scribit: *Sic etiam vos, arbitramini vos ipsos semel mortuos quidem esse peccato, viventes autem DEO per Jesum Christum, Dominum nostrum.* Quod vero assertio illa certa, & ex certa asseverantis Apostoli scientia, qua scivit se vitæ spiritualis participem esse, perfecta sit, partim ipsa phrasus docet: *ζωο vivo*, partim etiam contextus demonstrat, quippe qui Apostolum ex certa scientia & plenaria animi persuasione loqui ostendit: Idem enim qui nunc ait, *vivo, &, vivit in me Christus, &, vivo in fide Filii DEI*; antea v. 16. dixit: *Scientes autem quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi, & nos in Christo Jesu credimus &c.* ut ostenderet se ex certa scientia & ex plenaria animi persuasione hoc dicere quod dicit. Hinc etiam Johannes in I. Epist. Capite III. v. 14. *Nos scimus, inquit, quod transiverimus ex morte in vitam &c.* Quare si tandem summam assertionis Apostolicæ, *ζωο δὲ, vivo autem*, brevi quadam paraphrasi proponere debemus, illud hac ratione fieri posse censemus. Ego Paulus, me enim ipsum aliis in exemplum propono, cum Christo, qui pro me mortuus est & crucifixus, sacra quadam communione & ipse mortuus & crucifixus sum, non eo fine, ut in morte manerem, sed ut cum Christo revivente, viverem & ipse. Ex certa autem scientia assevero, & dico, *Vivo*, illiusque vitæ & justitiæ, quæ in Christo est, quæ DEO placet, quaque ego coram DEO justus & acceptus sum revera particeps sum. Hæc de priori loci nostri parte, Pauli nempe assertionis, qua is se vivere spiritualem vitam profiteretur.

§. 7. Pergimus itaque ad sequentia verba, quæ hujus assertionis uberiorem declarationem tradunt, quæ declaratio I. originem & constitutionem hujus vitæ, qua se Paulus vivere asserit, indicat, & quidem partim negative, in istis verbis: *non amplius ego*, partim positive, in his: *sed vivit in me Christus.* Manifestum est, quod Apostolus oppositionem faciat, inter Christum, & inter seipsum, eamque talem, qua vitam, de qua antea dixit: *Vivo*: non sibi, sed, unice Christo asseribit, id enim verba volunt: *Vivo, non ego, sed Christus vivit in me.* Hanc oppositionem B. Lutherus

therus in aureo in Epistolam ad Galatas Commentario accurate observat, eamque diligenter tenendam esse inculcat, quando ad verba nostra: Vivo autem, jam non ego, sed vivit in me Christus: ita differit: *Quid dicit vivo autem, sonat personaliter, quasi Paulus loquatur de sua persona. Ideo mox corrigit, dicens, jam non ego, hoc est, non ego jam in mea persona vivo, sed Christus in me vivit. Persona quidem vivit, sed non in se aut pro sua persona. Sed quis est ille, Ego, de quo dicit, jam non ego? is Ego est, qui legem habet, & operari debet, quig, est persona quedam segregata a Christo. Illum, Ego, Paulus rejicit, quia, Ego, ut distincta persona a Christo pertinet ad mortem & infernum. Ideo inquit, jam non ego, sed Christus in me vivit.* Hæc B. Lutherus. De sensu autem phrasit: *jam non ego, & quem illa respectum involvat, Interpretes disquirunt. Alii ad Paulum referunt, consideratum secundum illum statum, in quo sub lege Mosaica, utpote Judæus, adhuc vivebat, & ex lege vitam & justitiam erronea opinione sperabat, Christum vero Ejesque Evangelium persequebatur. Ita B. Hieronymus in Comment. ad verba nostra sentit, quando hæc annotat: non vivit ille, qui quondam vivebat in lege, quippe qui persequebatur ecclesiam. Idem innuit etiam B. Chrysolomus. Estius in Commentario duas expositiones affert & priorem quidem his verbis: vivo, inquam, non ego; id est, non vetus ille homo qualis eram. Quæ interpretatio ex Glossa interlineari desumpta est, quæ ad verba nostra: non ego: annotat: id est, Verus homo. Et hæc interpretatio vera quidem est, quia Paulus, Christianus, non amplius vixit illam vitam, quam vixit judæus, cum adhuc esset sub lege: interim tamen non est sufficiens, nec sensum exhaustit. Alii itaque ista negatione: Vivo, jam non ego: Paulum vitæ spiritualis originem sibi denegare, & ad Christum referre statuunt: quo tendit sententia posterior quam estius antea nominatus adducit, his verbis: vivo, non ego: Hoc est, quod jam vivo vitæ justitiæ, ex me ipso non habeo; sed vivit in me Christus, id est, Christus, qui a morte resurrexit ad vitam, mihi totius vitæ meæ spiritualis, hoc est, omnis justitiæ meæ auctor est; totum quod vivo illi debeo, qui in me vivit, & efficax est per gratiam suam. Quod vero idem paulo post addit: Igitur ex hoc loco discimus, uti bene Sasboldus annotat, operæ*

*opera iustorum non tam ipsorum esse, quam Spiritus Christi mentes eorum inhabitantis. Unde nec mirum quod digna sint vita aeterna.* Id nequaquam admittimus, profectum enim est ex erronea ista hypothese, quæ statuit, Opera reatorum in gratia & charitate facta, ipsam iustitiam & vitam spiritualem constituere, hancque in illis formaliter consistere: de qua infra plura dicemus. Illud interim concedimus, recte ab Estio dici, Paulum ista sua negatione: *vivo, non ego, sed Christus vivit in me*, originem iustitiæ & spiritualis vitæ sibi derogare & in Christum transferre, ut mens eius sit: *quod jam vivo vita iustitiæ, ex me ipso non habeo, sed Christus omnis iustitiæ mea auctor est, & totum quod vivo illi debeo.* Cæterum quia modo dicta erronea hypothesis sub Estii expositione latet, ideoque hæc quæ dicta sunt, ad plenarium loci nostri sensum nondum sufficiunt. Hinc alii Pauli etiam regeniti personam intelligunt, cum propriis suis operibus, cum propria sua iustitiâ, statuuntque illum sibi suisque viribus atque operibus non tantum originem, sed etiam constitutionem vitæ spiritualis & iustitiæ derogare, eamque Christo unice adscribere. Glossa interlinearis præter expositionem antea allatam, aliam, ad hunc imprimis sensum tendentem, adjungit, quando ad verba nostra: *Vivo, jam non ego, sed vivit in me Christus*: hæc annotat: *Non est in me iustitiæ mea, sed DEI.* Adeoque putat Paulum, qui dixit: *Vivo*: addita illa negatione: *non ego*: propriam suam iustitiam, quasi nempè nunc illa coram DEO vivat, excludere, eidemque rationem veræ vitæ, quæ coram DEO valet, denegare. Quod etiam verum est: quemadmodum enim propria & inhærente iustitiâ renati non sunt iusti coram DEO ejusque iudicio: ita etiam propria illa & inhærente iustitiâ non vivunt, sed vivunt vita & iustitiâ Christi coram DEO: bona enim opera, in quibus ambulant, non ad vitæ spiritualis formam, sed ad ejus effectus & operationes pertinent. Hinc recte B. Lutherus in Commentario ad verba nostra scribit: *Sic Paulus conatur nos prorsus abstrahere ab inspectione nostri legis & operum, & in ipsum Christum & fidem Christi transplantare, ut nihil plane spectemus in ratione justificandi quam Gratiâ, & eam longissime separemus a lege & operibus, que procul hic abesse debent.*

§. 8. Sicut vero Paulus hoc modo vitam spiritua-  
 lemque coram DEO justitiam, ejusque originem, propriamque  
 ejus rationem & constitutionem sibi ipsi, suae personae, suisque pro-  
 priis operibus denegat; vi verborum: *Vivo autem, non jamego*;  
 ita illam unice in Christum transfert, vi verborum sequentium:  
*sed vivit in me Christus.* Christus enim vitae spiritualis & justitiae  
 nostrae Auctor est, qui merito suo infinito justitiam vitamque no-  
 bis restituit, qua etiam speciali ratione vita nostra Christo in Scri-  
 pturis adscribitur, (in quibus alias etiam DEUS Pater nos vivificaf-  
 se dicitur, in Epistola ad Ephes. Cap. II. v. 4. sqq. & Spiritus San-  
 ctus quoque Joh. III, 5. Rom. VIII, 11.) Ille namque morte sua  
*mortem destruxit, vitamque & incorruptionem in lucem produxit*  
*per Evangelium*, ut Apostolus in 2. Ep. ad Timoth. Cap. I. v. 10.  
 testatur. Idem etiam *vita nostra, & justitia nostra* dicitur, quia  
 ipsius justitia justii, & ipsius vita vivi sumus, & ipse vivit in nobis,  
 juxta Pauli effatum, *vivit in me Christus.* Phrasid haec, *primo*, hoc  
 involvit, quod Christus, justitiae & vitae Auctor & Largitor, *sit in*  
*nobis*, sive, ut Apostolus in Epistola ad Ephes. Cap. III. v. 17. lo-  
 quitur, *habitet in nobis*: hanc etiam in Epistola ad Galatas Cap.  
 III. v. 27. ait: baptizatos & regenitos *Christum induisse*. Ita  
 vero Christus est in credentibus, ut intime cum iis sit unitus, ut  
 seipsum & lectum justitiam vitamque suam illis largiatur & com-  
 municet, adeo ut illi, Christi vita, per gratiam ipsis donata vivans,  
 ipsorumque & Christi una sit vita, qua illi in Christo, & Christus  
 in illis vivit, per intimam utrorumque unionem & communio-  
 nem. Et hoc vult Apostolus, quando dicit: *Vivit in me Christus.*  
 Praclare B. Lutherus in Commentario suo haec ita illustrat.  
*Christus in me vivit, is est mea forma, ornans fidem meam, ut*  
*color vel lux parietem ornat.* (Sic crasse res illa exponenda est, non  
 enim possumus spiritualiter comprehendere, tam proxime & inti-  
 me Christum *herere & manere in nobis*, quam lux vel albedo in  
 pariete *heret*) *Christus ergo, inquit, sic inherens & conglutina-*  
*tus mihi, & manens in me, hanc vitam, quam ago, vivit in me, imo*  
*vita, qua sic vivo, est Christus ipse.* Itaque Christus & ego jam unum  
 in hac parte sumus. Et post aliqua interjecta. *Quantum attri-*  
*bus ad justificationem, oportet Christum & me esse conjunctissimos,*

ut

ut ipse in me vivat, & ego in illo. (Mirabilis est hæc loquendi ratio)  
 Quia vero in me vivit, ideo quicquid in me est gratiæ, justitiæ, vitæ, paci-  
 cis, salutis, est ipsius Christi, & tamen illud ipsum meum est, per con-  
 glutinationem & inbasionem, quæ est per fidem, per quam efficiamur  
 Christus & ego, quasi unum corpus in spiritu.

§. 9. Res utique mirabilis & supra rationis nostræ ca-  
 prum posita est, Christum in nobis & nos in Christo, & nos sic  
 vita, non nostra, sed aliena vivere. Sed ne hoc cuiquam fallum  
 vel incredibile videatur, in verbis immediate sequentibus id magis  
 exponit, declaratque, quomodo non ipse, sed Christus in ipso vi-  
 vat, quando ait: *ὁ θεὸς ὄντων ἐν σαρκί, ἐν πνεύματι ζῶν ἡμεῖς τὰ ἅγια τὰ ἁγία.*  
 Quod vero nunc vivo in carne, in fide vivo, quæ est in Filium DEI. Hic  
 partim tempus indicat, in quo vitam illam spiritualem, qua Chri-  
 stus in ipso vivit, ducit; partim etiam medium sive organon ex-  
 primit, per quod Christus in ipso habitat, vivitque, & vitam spiri-  
 tualem ei largitur. De tempore prius dicemus, verbisque illud in-  
 dicantibus: *quod vero nunc vivo in carne.* Particula *ὄντων, nunc,* tem-  
 pus illud præsens indicat, in quo Paulus hæc ipsa scripsit, & non  
 tantum homo renatus, sed magnus insuper Christi Apostolus fuit,  
 multis bonis operibus ornatus, & laboribus egregiis pro Christi  
 gloria exantlatis inclutus. Porro, tempus hoc, est tempus præsen-  
 tes secuti, quo Paulus in hac carne vivit. Observant hic Interpre-  
 tes communiter, aliud esse, *vivere in carne,* & *vivere secundum car-  
 nem;* hoc enim idem est, ac, vivere secundum carnis concupiscen-  
 tias, iisque servire, & opera carnis peragere, a qua vita secundum  
 carnem Paulus auditores suos passim dehörtatur; tanquam veræ  
 vitæ qua DEO vivitur penitus opposita, & potius mortis quam vitæ  
 nomine digna, eo quod isti qui ita vivunt, & opera carnis committunt  
 in peccatis suis spiritualiter mortui sunt, juxta effatum ejus E-  
 phes. II, 1. Hinc etiam illorum, qui DEO vivunt, quique Christi &  
 cum Christo veræ vitæ participes redditi sunt, officium in eo con-  
 sistit, ut non secundum carnis concupiscencias vivant; sed illas  
 potius mortificent, neque in se dominari patiantur, ut Aposto-  
 lus in Epistola ad Romanos Capite VI. v. II. 12. 13. & Cap. IIX.

v. 11. 12. 13. graviter admonet. Hæc itaque significatio phrasis : *secundum carnem vivere*, in Paulum in quo Christus vivit, & ad verba ejus, quando ait : *quod nunc vivo in carne*, minime quadrat : quippe qui non dicit, *secundum carnem*, sed, *in carne vivo*. Quanquam, porro, & hæc phrasis : *in carne esse* : in Scriptura sacra in malam partem accipitur, de iis nempe, qui ita in carne sunt, ut secundum illam quoque sentiant vivantque, qua de causa de talibus Apostolus in Epist. ad Rom. Cap. VIII. v. 8. inquit : *qui vero in carne sunt, DEO placere non possunt. Vos vero, de renatis jam loquitur & vita spiritali donatis, non estis in carne, sed in Spiritu, siquidem Spiritus DEI habitat in vobis. Quare nec hoc modo Paulus in carne est, licet dicat : quod nunc vivo in carne* : verum in carne vivere ut porro Interpretes observant, hoc loco idem est, ac, vitam animale[m] vivere, quod illorum est, qui in hac carne, in hoc corpore mortali constituti vitam naturalem degunt, & cum aliis in hujus vitæ societate versantur, qua ratione B. Lutherus phrasis hanc exponit in Commentario hujus loci, aliique plures : & Apostolus quoque ipse in Epistola ad Philipenses Cap. I. v. 22. & seq. ubi *to vivere in carne*, opponit *morti & dissolutioni*, aitque, licet cupiat mori & dissolvi & esse cum Christo, magis tamen necessarium esse, vivere in carne, sive, permanere in carne, & diutius superesse, idque propter insignem fructum, quem auditoribus suis labore & ministerio suo amplius exhibere possit. *To in carne*, ergo, non est norma & conditio vitæ spiritalis, de qua Paulus dixit : *Vivo, & Christus vivit in me* : sed est conditio subiecti, Pauli, qui quidem in carne, in hoc mortali corpore versatur, & vitam animale[m] vivit, simul tamen melioris adhuc vitæ, quæ Christus est, particeps est : ut commodissime verborum : *quod nunc vivo in carne* : sensus ita exprimi possit : quod ego in carne & corpore hoc constitutus, nihilominus vivo DEO, hoc vivo in fide Filii DEI.

§. 10. Cæterum hæc phrasis : *quod nunc vivo in carne* : ulterius quid innuere videtur : rationem nempe & declarationem ejus, quod Paulus antea dixerat : *Vivo autem, non jam ego*. Si enim Apostoli verba inter se conferantur, illa intimo nexu inter

inter se conjuncta esse, suavissimaque harmonia semet invicem interpretari apparebit. Priora itaque Pauli verba: *Vivo autem, non jam ego.* & hæc sequentia: *quod vero nunc vivo in carne*: semet invicem respiciunt & declarant. Et posteriora ejusdem verba: *sed vivit in me Christus*: atque hæc sequentia: *Vivo in fide Filii DEI, qui me dilexit, & tradidit seipsum pro me*: etiam semet invicem declarant: Et quidem ut de priori verborum collatione nunc dicamus, putamus Paulum istius asserti: *Vivo, non ego*: rationem & declarationem suppeditare verbis hisce sequentibus: *quod nunc vivo in carne*: hoc modo; Ego non vivo, & vita qua DEO vivo non est mea, Vivo enim & sum adhuc in carne, & quidem in illa carne, in qua adhuc peccatum habitat, propter quod, caro mea & corpus meum, in quo in statu presentis seculi constitutus sum, corpus non vitæ, sed corpus mortis est, cum quo mihi, per gratiam Christi in me habitantis, quotidie duro molestoque certamine colluctandum est, quod etiam me impedit, ut bonum, quod volo, non plane perficiam, sed mihi potius bonum agere volenti, malum adjaceat surrepatque, qua de causa etiam de me ipso, in illa carnis imperfectione constituto & morti adhuc proximo, lamentabilem illam querelam instituere necessum habeo, quam alibi, Rom. VII. Cap. v. 18. & seq. emisi: *Scio, quod in me, hoc est in carne mea, non habitat bonum, nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Non enim quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum hoc ago. Si autem quod nolo illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum &c. Infelix ego homo quis me liberabit a corpore mortis hujus.* Ecce! quando Paulus de se ipso, regenerito licet, in presenti tamen seculo adhuc in carne constituto loquitur, non sane sibi ipsi vitam spiritualem tribuit, deque illa gloriatur, dicens: *Vivo ego!* Sed mortem potius suam deplorat, exclamatque: *infelix ego homo, quis me liberabit a corpore mortis hujus.* Hæc causa est quod dicat: *Vivo, non autem ego.*

§. II. Ad eandem phrasin: *Quod vero nunc vivo in carne* porro aliquid adhuc annotandum est. Illa, ut supra diximus, *tempus* denotat, in quo Paulus se vitam spiritualem agere proficitur, in qua Christus in ipso, & ipse in Christo per fidem vivit.

Hoc vero tempus non tantum conversionis & vivificationis initium denotat, quasi nempe fides in Christum vitæ & justitiæ initium tantummodo fecerit in Paulo, absit. Sed tempus hoc quo Paulus se in fide Filii DEI vivere asserit, vitæ & justitiæ initium & progressus usque ad mortem, adeoque totum vitæ Paulinæ curriculum continet. Ait enim: *Quod vero nunc vivo in carne, vivo in fide Filii DEI.* Universaliter de tota vitæ suæ serie loquitur, & de vñ, quod nunc, in præsentis hoc seculo vivo. Illud vñ, nunc, non initium tantum justificationis & conversionis Pauli denotat, amplissimos enim progressus in vitæ Christianæ curriculo fecerat cum ista scriberet, quemadmodum ex temporis ratione ab ipsomet Capite II, v. 1, indicata constat, ubi anni post conversionem suam decimi quarti mentionem facit, & sic aperte docet, quod, quemadmodum ante hos quatuordecim annos in fide in Christum justitiæ & vitæ Christianæ initium fecerit; ita quoque per istos quatuordecim annos hucusque in eadem fide vivere perrexit & vivat adhuc illo ipso momento in fide Filii DEI. Imo per reliquum etiam vitæ suæ tempus usque ad beatam suam ἐπέλευσιν vixit, sequæ vitam & justitiæ coram DEO habere docuit in eadem fide Filii DEI: ait enim: *quod nunc vivo in carne, in fide vivo Filii DEI.* Quamdiu ergo in hac carne erat, spiritusque hos regebat artus, non alia ratione se DEO vivere, & veræ vitæ justitiæque participem esse statuit, quam in fide Filii DEI.

S. 12. Cæterum de hac Fide, porro, dicendum erit ex professo ad sequentia Apostoli verba: *in fide vivo, quæ est in Filium DEI, qui dilexit me & tradidit seipsum pro me.* Antea observavimus, hæc verba expositionem continere præcedentium, in quibus Apostolus dixit: *Vivit in me Christus.* Potuisset enim, aliquis cogitare: quid ais, Paule, *Vivit in me Christus.* Quomodo, & qua ratione Christus sit tuus, & Christi vita tua vita, ut dicere possis: *Vivit in me Christus?* Hoc itaque jam declarat Apostolus, & docet, Fidem esse hoc medium sive organon, quo Christus fiat suus Christus, & vita justitiæque Christi sua vita & justitia, ut inde dicere possis: *Vivit in me Christus.* Hæc enim Fides Christus apprehendit, cum omni sua gratia, qua Ipse se



in Verbo suæ promissionis nobis proponit & exhibet, eundemque arcte tenet. DEUS quoque hoc medium ordinavit, ut per illud seipsum nobis communicare, sanctaque societate se nobiscum unire velit, aperta enim Apostoli verba sunt in Epistola ad Ephesios Cap. III. v. 17. in quibus asserit: *Christum habitare per fidem in cordibus nostris.* Hinc etiam idem in 2. Epist. ad Corinthios Capite XIII. v. 5. auditores suos hortatur, ut seiplos explorent, *num in fide sint, & num Christus JESUS in ipsis sit.* Per eandem fidem etiam Spiritus Sanctus nobis datur, qui nos vivificat & in cordibus nostris tanquam in templis suis habitat, uti Paulus testatur in Epistola ad Galatas Cap. III. v. 2. & 14. & in 1. Ep. ad Corinth. Cap. III. v. 16. & Cap. VI. v. 19. Quando vero Christus & Spiritus Christi per fidem se nobiscum unit, seque nobis communicat, tum una gratiam suam vitam & justitiam nobis communicat. Et quemadmodum per animæ cum corpore Unionem & communionem corpus vitam naturalem accipit vivitque: ita etiam per Christi, qui vita nostra est, unionem & communionem nobiscum, quæ fide fit, non vitam spiritualem accipimus, & hac ratione vivimus in fide Filii DEI, & Christus vivit in nobis, id quod Paulus etiam suo exemplo docet, quando in verbis nostris asserit: *Christus vivit in me: iterumque, Vivo in fide Filii DEI:* quarum phrasium collatio suavissima est, docet enim Paulum ita de vita spirituali sentire & secum statuere: Si ego vera fide Filium DEI, qui me dilexit & tradidit seipsum pro me, apprehendo, tum vivo in hac fide Filii DEI, & veræ vitæ justitiæque particeps fio; & Christus quoque vivit in me. Et vice versa: Si Christus in me vivere & seipsum, Vitamque & justitiam mihi communicare debet, tum ego vera fide Filium DEI, qui me dilexit & tradidit seipsum pro me firmiter apprehendere arctèque tenere debeo. Sic itaque manet Fides in Christum illud medium & instrumentum, quod Christum, & cum ipso vitam & justitiam accipimus, & ad finem usque conservamus.

§. 13. Supra annotavimus, Paulum hoc tempore, quo hæc scripsit, in vita Christiana insignes progressus fecisse, & charitate aliisque virtutibus & bonis operibus ex nova obedientia

entia secundum DEI Legem præstitis divitem fuisse, sed illud hic non observamus, quæcumque etiam diligentiam adhibemus, eum in illis suis virtutibus & propriæ justitiæ operibus vitæ & justitiæ formam, propriamque rationem collocasse. Hoc vero planissime deprehendimus, Eum, illis omissis, vitæ spiritualis & justitiæ veram rationem in eo constituere, quod Christus per fidem in nobis, nosque per fidem in Christo vivamus. Quin alibi etiam, quando de vera coram DEO justitiæ vitæque agit, propriæ justitiæ opera secundum legem DEI præstita inde manifeste excludit, nullamque aliam vitam & justitiam coram DEO valentem agnoscit, quam illam quæ ex fide & in fide JESU CHRISTI est: ita enim disertis verbis hac de re mentem suam declarat in Epistola ad Philippenfes Cap. III. v. 9. *ut inveniar in illo (Christo) non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide JESU CHRISTI est, quæ ex DEO est justitia in fide.* En! hic Apostolus expresse de se ipso testatur & inquit: *Ut in Christo inveniar, &* quod perinde est, ut Christus inveniat in me: ut ego in Christo vivam, & Christus vivat in me, ad hoc non habeo nec afferro meam justitiam, quæ ex lege est, measque virtutes, sed illam, quæ ex fide & in fide JESU CHRISTI est &c. per hanc ego invenior in Christo & vivo in Christo, & Christus invenitur habitatque in me, & vivit in me.

§. 14. Hæc quidem fides, de qua Apostolus dicit, *Vivo in fide Filii DEI*, nequaquam mortua est, sed viva, & novam obedientiam & bona opera & charitatem DEI & proximi operatur, ut etiam Apostolus in Ep. ad Gal. Cap. V. v. 6, testatur, quando ait: *fides per charitatem operatur.* Nam licet illi, qui in fide Filii DEI vivunt, adhuc in carne sint, quam secum circumferunt, non tamen secundum carnem, sed secundum spiritum in nova obedientia ambulant, ut supra indicavimus. Interim tamen illa novæ obedientiæ & charitatis opera secundum divinam legem præstita, ipsam vitam spiritualem justitiamque non constituunt, sed ex vitæ & justitiæ a Christo per fidem nobis communicata consequuntur, ejusque fructus sunt. Quemadmodum autem fructus radicem non constituunt, neque vitam ei conciliant; ita quoque charitas, aliæque nostræ virtutes & bona  
opera

opera ex fide in Jesum Christum procedentia, utpote vitæ & justitiæ fructus, eandem non constituunt, nec vitam ei addunt, sed ipsa potius ex fide & per fidem ex Christo vitalem pulchritudinem trahunt, qua ut boni fructus DEO placent, in carnis licet infirmitate facta. Id quod etiam B. Lutherus in Commentario ad locum nostrum his verbis docuit. *Infirmi &c. offenduntur cum audiunt legem & bona opera non esse facienda ad justificationem. Illis est succurrendum & exponendum, quomodo opera non justificent. Quomodo sint facienda, quomodo non facienda. Sunt autem facienda, non ut causa, sed ut fructus justitiæ. Jam justi facti debemus ea facere non e contra, ut injusti per ea reddamur justi. Arbor facit poma, non poma arborem.* Fides enim hæc viva, quod porro notandum est, vitam accipit, & viva redditur a Christo, quem apprehendit, id quod Apostolus suis verbis indicat, quando ait: *Christus vivit in me: & Vivo in fide Filii DEI.* Dum enim Christus per fidem vitam nobis communicat, nosque vivos facit, eo ipso etiam fidei nostræ vitam communicat, eamque vivam facit, & nos per fidem vitam spiritualem ex Christo trahimus. Quo pertinet suavissima comparatio Christi Joh. Capite XV. in qua per fidem Christo tanquam Viti nos inferi, & hac ratione vitæ participes reddi docet, eum in finem, ut postea bonos fructus producamus. Et quidem quo firmitus Christum, vitam nostram, fides nostra apprehendit, eo vivacior est, eoque magis Christum & cum eo vitam spiritualem sibi applicat. Christus enim fidei vitæ & veræ proprium objectum est, apprehensio Christi & applicatio præcipuus ejus actus est, ut porro indicabimus.

§. 15. Et quidem *Objectum Fidei* est Christus, *Filius DEI*, qui dilexit nos, & tradidit seipsum pro nobis, idque aperte Paulus docet, quando ait: *ἐν πίστει ᾧ ἰησοῦ υἱοῦ θεοῦ*, in quibus verbis duplex articulus *την τῆς* singularem emphasin habet, ostenditque, illam fidem intelligi, quæ in Filium DEI directæ est. eundemque apprehendit tanquam Objectum suum, unde etiam Verbo Schmidiana emphasin Græci sermonis præterire noluit, sed ita expressit: *in fide vivo, quæ est in filium DEI.* Notanter

C

autem

autem nominat, *Filium DEI*: ut nempe indicet Objecti hujus summam eminentiam, & fundamenti quo fides nostra nititur infallibilem certitudinem, quippe quæ non hominis nudi auctoritate, sed DEI æterna veritate nititur, Hic enim Filius DEI & ipse *verus DEUS est & vita æterna*, ut Johannes in 1. Epist. Cap. V. v. 20. restatur. Ratio autem sub qua Fides in hoc Objectum Filium DEI fertur, hæc est, quod ille *nos dilexit, & tradidit seipsum pro nobis*. Filius DEI dilexit nos, & tradidit seipsum pro nobis, qui miseri peccatores & in peccatis nostris mortui & æternæ damnationis rei eramus. Scriptura sacra nos hostes DEI appellat, quapropter non amore, sed odio digni eramus, hoc tamen non obstante Filius DEI nos dilexit, & quidem ita dilexit, ut seipsum traderet pro nobis, traderet autem in mortem & quidem in mortem crucis, id est, acerbissimam & ignominiosissimam. Id quod immensi & profus ineffabilis amoris argumentum est, quo aliud majus dari nobis non potuisset, uti Christus ipse nobis indicat Johannis Cap. XV. v. 13. quando ait: *Majorem hac charitatem nemo habet, quam ut quis ponat animam suam pro amicis suis*. Sed hac charitate, quæ inter homines summa est, & qua amicus animam ponit pro amico, Christus majorem nobis exhibuit, quippe qui animam pro nobis posuit cum non amici, sed inimici & peccatores eramus. Hinc etiam Apostolus in Epist. ad Rom. Cap. V. v. 8. *Commendat*, ait, *suam charitatem DEUS erga nos, quod quum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus sit*. Cum hoc vero amore Filii DEI erga nos etiam DEI Patris amor conjunctus est, Ille enim tradidit Filium suum dilectum & unigenitum pro nobis, & Filius ex voluntate Patris tradidit seipsum, ut omnis qui credit in Eum justitiam habeat vitamque æternam, Joh. III, 16. Immensa itaque hac charitate sua Filius DEI nos ad se invitat, utque seipsum plena animi fiducia amplectamur allicit, & quis est, quando ineffabilem hunc Divinæ charitatis affectum ex verbo DEI audit & sincera mente perpendit, qui non Filium DEI, amorem suum, omnibus animi viribus amplectatur, omnemque vitæ & salutis suæ spem atque fiduciam in eo collocet, Eumque ita apprehendat & tam arcte sibi sua teneat, ut in æternum illum non deserat, dicatque cum

Apostolo

Apostolo: *Ego vivo, imo morior etiam, in fide Filii DEI, qui dilexit me, & tradidit seipsum pro me.* Omnia æquidem quæ in sacris literis scripta sunt, fides nostra credit, & illa generale fidei objectum constituunt; sed speciale illud objectum, quod fides iustificæ & vivificæ apprehendit, & in quod iustitiæ, vitæ, æternæque salutis fiduciam collocamus, Christus est, *Filius DEI, qui dilexit nos, & tradidit seipsum pro nobis.* Dilexit autem Filius DEI non aliquos tantum, sed omnes in universum, & tradidit seipsum in mortem non pro aliquibus tantum, sed pro omnibus & singulis, uti Paulus in 2. Epist. ad Corinth. Cap. V. v. 10. 14. 15. testatur, quando ait: *omnes manifestari oportet coram tribunali Christi: & deinceps de his omnibus & singulis, qui coram tribunali Christi manifestandi sunt subjungit: judicamus, quod si unus (Christus) pro omnibus mortuus est, omnes mortui sibi. Et Ipse pro omnibus mortuus est, ut qui vivunt, non amplius sibi ipsis vivant, sed Ei qui pro omnibus mortuus est, & resuscitatus.*

§. 16. Et hæc universalis Christi Dilectio ideo notanda & firmiter tenenda est, quia fundamentum est specialis illius applicationis, qua, unusquisque credentium, Christum Eiusque Meritum, & per illud vitam iustitiamque sibi singulariter appropriare debet, tradidit enim Christus seipsum in mortem, ut pro peccatis nostris satisfaceret eademque e medio tolleret, resurrexitque propter nostram iustitiam vitamque, ut illam repararet, restituit etiam illam, Paulo teste in 2. Tim. 1. 10. quando ait: *Christus morte sua mortem destruxit, & vitam & incorruptionem in lucem produxit per Evangelium.* Hoc vero commune Servatoris nostri beneficium Fides credentium ita apprehendit, ut unusquisque illud sibi sic appropriet, ac si pro ipso in singulari Christus mortuus fuisset, ipsumque ineffabili illa charitate sua in singulari dilexisset. Et hæc est *Fiducia* illa *applicans*, quæ Fidei iustificæ & vivificæ præcipuus actus est, id quod Apostolus noster in verbis suis aperte docet, quando facta speciali applicatione ad se ipsum ait: *vivo in fide filii DEI, qui me dilexit & tradidit semetipsum pro me.* Hinc recte B. Lutherus in Commentatio ait: *Hæc voces: qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me: plenissime fidei sunt, & qui hoc breve pronomen (Me) ista fide dicere & ampliare sibi*

sibi posset, qua Paulus, is etiam futurus esset optimus disputator, un-  
cum Paulo contra legem. &c. Per illam traditionem Filii DEI in mor-  
tem respiro, & eam applico mihi, istaq; applicatio est vera vis fidei.  
Eandem specialem appropriationem in verbis Apostoli conten-  
tam notavit etiam B. Chrysostomus, quando in Commentar. in  
Cap. II, Ep. ad Galatas ad locum nostrum ita disserit: *Quid facis o  
Paule, dum communia proprie tibi vindicas, quae, pro toto terrarum  
orbe facta sunt, tibi facis peculiaria? Non enim dixisti, qui dilexit  
nos sed qui dilexit me. At qui Evangelista dicit: Sic dilexit DEUS mun-  
dum. Quin & tu ipse dicis: qui proprio Filio non pepercit, sed tras  
didit Eum pro nobis. Non igitur pro te, sed pro omnibus. Ac rursus;  
ut acquireret sibi populum peculiarem. Quid est igitur quod hic di-  
cit? Cum consideraret Apostolus infirmitatem humanae naturae & ines-  
sabilem Dei sollicitudinem, eum quibus ipsam malis liberasset, qua bo-  
na largitus esset, inflammatus illius desiderio hunc in modum loqui-  
tur. Quandoquidem & Prophetæ non raro Deum communem sibi pro-  
priū faciunt, hoc modo loquentes. DEUS, DEUS meus, ad te de luce vi-  
gilo. Præterea vero declarat hoc quoq; par esse, ut quisq; nostrum no-  
minus agat gratias Christo, quam si ob ipsum  
solum advenisset, &c.*

*Porismata.*

I.

Datur, DEI gratia, vita spiritualis, qua homines in pec-  
catis suis antea mortui, DEO vivunt: renati etiam de hac vita  
sua spirituali & iustitia ita certi sunt, ut se DEO vivere sci-  
ant, & ex certa fidei suæ scientia cum Paulo dicere possint:  
*Vivo!*

II.

Causa Efficiens Vitæ spiritualis est DEUS Trinus; ;  
Causa Meritoria in specie est Christus, DEI Filius, qui mor-  
te

te sua mortem destruxit, & Resurrectione sua vitam nobis restituit.

III.

Subiectum vitæ spiritualis est homo renatus & iustificatus, quippe qui dum renascitur vivificatur, & dum iustificatur a morte peccati liberatur.

IV.

Medium sive Organon, per quod Christi vita nobis communicatur, est Fides in Christum, per illam quippe Christus vivit in nobis, & nos vivimus in fide Filii DEI.

V.

Fides hæc non est tantum Assensus, sed etiam noticia, & imprimis Fiducia, qua credens Christi Dilectionem & Satisfactionem apprehendit, & sibi peculiariter applicat cum Apostolo, in quiens: *Christus Filius DEI me dilexit, & tradidit seipsum pro me.*

VI.

Fides, viva redditur, vitamque accipit, non a charitate & operibus, sed a Christo ipso, vitæ Auctore, quem apprehendit, quique in fide & per fidem vivit in nobis.

VII.

Forma vitæ spiritualis non consistit in charitate nostra, vel quibuscunque nostris operibus & virtutibus. Sed in participatione vitæ Christi, quæ fide fit, per quam Christus vivit in nobis.

IX.

Finis & Effectus vitæ spiritualis est nova obedientia, charitas DEI & proximi, & bona opera, quippe quæ tanquam boni fructus e viva radice enascuntur, vitam ipsam præsupponunt, eademque posteriora sunt.

IX.

IX.

Vita spiritualis, ex parte nostra, in hoc mundo est imperfecta, idque ob peccatum etiam renatis adhuc adhærens, inque carne illorum habitans.

X.

Totum vitæ spiritualis curriculum Fide transigitur, Fide inchoatur, Fide continuatur, Fide denique absolvitur, ita ut homo renatus, quod & quamdiu vivit in hac carne, vivat in Fide Filii DEI, qui eum dilexit, & tradidit seipsum pro eo.

FINIS.



IX.

Finis & Effectus vitæ spiritus noster est nova obedientia, etiam DEI & proximi, & bona opera, quibus per tantam bonam fidem & virtutem consequamur, & ita vitam persequamur, & deinde possidemus vitam.



00 4 6306

ULB Halle

3

002 927 209




Sb.


Vb 17

Rebra

Hi. 94.







7. N. D. N. 7. C.  
DISPUTATIO THEOLOGICA,  
DE  
**VITA  
RENATORUM  
IN FIDE,**

Ad Locum Apostoli Pauli  
*Galat. Cap. II. vers. 20.*

Qvam  
Adjuvante DEO Triuno,

PRÆSIDE  
*VIRO Maxime Reverendo, Amplissimo atq; Excellentissimo*  
DOMINO  
**BERNHARDO WAGNERO,**  
SS. Theol. Doct. & Prof. Publ. Celebrerrimo,  
Capit. ad Div. Thom. Canonico, & Ecclesiasse Digniffi-  
mo, Fac. Theol. h.t. DECANO Spectabili:

*Dn. Patrono, Fautore & Præceptore suo, omni  
& Pietatis cultu & animi submissione semper Amando  
& Honorando,*

In Alma Argentoratensium Univerfitate,  
Publico Eruditorum Examine exponet

**PHILIPPUS DANIEL NEUBER/**  
Landavia Alfatus.

22

ARGENTORATI,  
Typis JOHANNIS FRIDERICI SPOOR.  
Anno M DCC VIII.